



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 439. Quid & quotuplex sit confirmatio & innovatio privilegii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

potest abrogare, per Sylv. *v. privilegium*, q. 2. Suar. de LL. L. 8. c. 8. n. 2. Pith. *h. t. n. 9.* Lauterb. ad ff. de Const. Princip. §. 39. cum Gl. communiter recepta in can. quod autem. 25. q. 2. & communi AA. Idem est de privilegio minùs strictè accepto, pro gratia & beneficio præter seu ultra jus, quia & illud solus concedere potest, qui est supra jus, & qui in eo limites ponere, & præter illud operari potest; unde potestates publicæ tam sæculares, quàm ecclesiasticæ tantùm in rebus iis privilegia concedere possunt, de quibus disponere, & legem ferre queunt. Pith. *l. c.* cum itidem communi. Sic Papa extra suam ditionem temporalem per se ac directè tantùm in spiritualibus, & quæ illis annexa, ut sunt decimæ, contractus matrimoniales &c. Prælati verò inferiores Papæ concedere possunt privilegia eximentia à legibus à se aut suo antecessore conditis, uti & in rebus ad se pertinentibus, quæ sunt præter & contra jus commune Pontificium, privilegia concedere possunt; in iure enim canonico communi dispensare nequeunt, nisi quatenus id eis de iure vel consuetudine concessum est, non est autem id eis concessum; ita cum Suar. *cit. c. 8. n. 7. 9. 10.* Pith. *l. c.* similiter Imperator, alique Principes supremi sæculares in temporalibus tantùm privilegia dare possunt, inferiores verò Principes sæculares superiorem in temporalibus recognoscetes, privilegia propriè talia concedere non possunt, nisi quatenus id iis specialiter à superiore Principe concessum. Suar. *n. 11.* Pith. *l. c.* qualis concessio tacita colligitur quoque ex eo, quòd præsumitur ex diuturnis moribus, dum nimirum inferior diu iure singulari aliàs sibi non competente usus fuerit, Imperatore vel Principe id sciente, & non contradicente. Lauterb. §. 41. Et hæc in genere, quod verò attinet modernum statum Imperii Romani, etsi Imperator inconsultis & ignorantibus Imperii statibus extra comitia concedere possit privilegia, & nonnullas personas & causas universalium legum vinculo solvere & eximere, ut Carpz. de L. Reg. c. 8. n. 8. Paurmeister de Jur. Imp. Rom. L. 1. c. 4. n. 6. quos citat & sequitur Lauterb. ad ff. de Constitut. Princip. §. 40. juxta quod quotidianà constat experientià, modò tamen talia privilegia non tendant in magnum Imperii detrimentum, aut non pertineant ad Jura Statibus cum Imperatore communia, maximè in comitiis peragenda, in quibus necessarium esse consensum Statuum, docet Carpz. *cit. rr. c. 13. f. 8. n. 15.* ipsùmque à pluribus observatum esse, refert Lauterb. *l. c.* Quin &, quòd Principes & Status Imperii ad exemplum Imperatoris habeant jus & potestatem privilegia & immunitates concedendi in suis districtibus vi superioritatis territorialis, carere omni dubio, asserit idem citatis pro hoc Mevio ad Jus Lubec. q. 1. prelim. num. 39. Myler. de Princip. & Statib. Imp. Rom. p. 2. c. 46. n. 1. &c.

Quæst. 439. Quid & quotuplex sit confirmatio & innovatio privilegii?

REsp. Nihil est aliud, quàm privilegii jam antè legitimè habitū corroboratio, quæ sit duplici-

ter, nimirum vel in forma communi, seu ordinaria, vel in forma speciali, seu ex certa scientia. Prior est, quæ jus seu privilegium, prout hic & nunc reperitur, relinquatur in suo statu ab illo, qui conficius illius tollere vel mutare possit, sive validum sit, sive invalidum, cum jus nullum novum tribuat, neque, si prius invalidum, revalidet. Confirmatio in forma speciali est, dum superior, qui primò illud concedere poterat, perspectà rei naturà, & consideratis considerandis circumstantiis positivè in suo robore permanere jubet, vel, si per non-usum, vel usum contrarium amissum, aut à jure communi, vel ab homine, & per constitutionem in corpore juris communis non clausam revocatum, revalidat; æquivaleret siquidem talis confirmatio novæ concessioni, & supplet omnes defectus, qui suppleri possunt, ac solent, estque in re & effectu nova concessio. Porro circa confirmationes privilegiorum illud notandum, quòd, si in una Bulla confirmatoria minùs quàm in alia, quæ confirmatur, ponatur, & aliqua privilegia aut favores in una Bulla non confirmantur, per hoc omiſsa non censentur revocata, sed relinquuntur in suo vigore, quem hic & nunc habent, & consequenter plenè valeant, si posteriore aliqua Constitutione revocata non sint, aut Decretis Trid. non adversentur. Reiffenst. *b. t. n. 59.*

Quæst. 440. Num aliis quàm subditis privilegia concedi possint?

REsp. Non solùm verè & absolutè subditis suis Princeps concedere potest privilegia, sed etiam exteris & non-subditis, si privilegia sint facultatis concessivæ, & merè gratiæ, solùmque præter legem, & in materia subjecta jurisdictioni Principis, non verò, si sint facultatis dispensativæ, & contra jus; ita Suar. de LL. L. 8. c. 9. à num. 2. Castrop. *rr. 3. d. 4. p. 4. num. 2.* Pith. *b. t. num. 10.* Ego L. 1. q. 110. num. 2. Ratio prioris est, quòd collatio talis privilegii præter jus non supponat in concedente jurisdictionem, sed est actus merè liberalitatis, nec privilegium ipsum continet vim coactivam privilegiati, nec vim illius directivam, quia non obligat illum ad culpam aut penam, cum is rem sibi indultam pro libitu potest omittere, adèoque nullam subjectionem infert privilegiati respectu concedentis privilegii, nec hujus superioritatem respectu ejusdem. Sic Princeps in suo territorio tribuere potest potestatem conscribendi militem externo, venandi, exportandi arma, importandi merces alias suis subditis prohibitas, & immunitatem à solvendis vectigalibus; cum hæc omnia subſtent ejus jurisdictioni, unde horum omnium privilegiorum capax est non-subditus illius, non secus ac cujusvis donationis sibi factæ ab eo; Ratio prioris est, quòd privilegium contra jus sit privilegium facultatis dispensativæ, quam erga non subditum, utpote non obligatum ejus legibus, exercere nequit.